



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 53. Mehemetis supremi Vezirii consilia de agitanda pace Venetos inter,
& Turcas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

super Hispani pecunias, navesque subministrare renuerent, Turcæ victores amplum interea suas victorias continuandi spatium nanciscebantur, ad quod plurimum conferebat cunctatio, qua Hispani ab initio opem ferre tergiversabantur, quamvis postea suppetias mittere consentirent.

Altera ex parte Selimus nil intentatum, inausumque relinquebat, ut Venetorum Respublica undique infestaretur, quapropter varia hujus ditionis loca invadebat, quatenus sic eorum vires quaquaversum distraheret, præcipue vero in Albaniam unacum sexaginta armatorum millibus Bassam Achmetem emittebat, qui etiam terrorem ubique iniecit, atque Olchinum veteris Illyriæ, quæ hodie Dalmatia dicitur, urbem a maris Adriatici ora haud procul distitam, nec non arce, ac opportuno portu munitam obsidebat: Hali-Bassa vero Mense Augusto cum quadraginta triremium classe in Insula Chio appulsus est, quem sub idem ferme tempore Mahometes Eubææ Præses cum reliqua classe sequebatur.

§. LIII.

*Mehemetis supremi Vezirii consilia de
agitanda pace Venetos inter, &
Turcas.*

Pp 4

Interea

Sæcul. XVI.
A.C. 1570.

*Calcond. hist.
des Turcs
tom. 2. l. 15.
p. 698.*

*Spond. ad
hunc ann.
n. I.*

Interea assidua summi Pontificis sollicitudo, qua foedus inter Christianos Principes urgebat, haud parum turbabat Turcarum progressus; verebantur enim illi, ne totius Christianæ Reipublicæ Principes sua arma in eos converterent: eapropter Mehemetes supremus Vezirus, qui aliunde bellum in Cyprum Insulam inferri repugnauerat, tam amplas expeditiones Ottomanico Imperio funestas fore pertimescebat; magis autem ejusdem metus augebatur ex potenti auctoritate, quam Mustapha ejus æmulus sibi tot victoriis conciliabat. His itaque turbidis agitated cogitationibus pacis consilia fovere cæperat, ac Venetos ad quædam concordia pacta inclinare tentans, eos adeo propensos experiebatur, ut hi quantocius Jacobum Ragazzonium Constantinopolim ablegarent, qui conditiones Reipublicæ proponendas exciperet. Interea foedus, de quo supra mentionem fecimus, inter Pium V. Papam, Philippum II, Hispaniæ Regem, Venetamque Rempublicam Mense Majo hoc anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo septuagesimo primo plene confectum est, unde Ragazzonii conatus præpediebatur, ejusque successus Venetis haud ultra proficiuus esse poterat.